

**4 februari 337** IDEM A. AD GREGORIUM. Qui comparat, census rei comparatae cognoscat: neque liceat alicui rem sine censu vel comparare vel vendere. Inspectio autem publica vel fiscalis esse debebit hac lege, ut, si aliquid sine censu venierit et id ab alio deferetur, venditor quidem possessionem, comparator vero id quod dedit pretium fisco vindicante perdat. Id etiam placuit neminem ad venditionem rei cuiuslibet accedere, nisi eo tempore, quo inter venditorem et emptorem contractus sollemniter explicatur, certa et vera proprietas a vicinis demonstretur; usque eo legis istius cautione currente, ut, etiamsi subsellia vel, ut vulgo aiunt, scamna vendantur, ostendendae proprietatis probatio compleatur. Nec inter emptorem et venditorem sollemnia in exquisitis cuniculis celebrentur, sed fraudulenta venditio penitus sepulta depereat. DAT. PRID. NON. FEBRUAR. CONSTANT(INO)P(OLI) FELICIANO ET TITIANO CONSS.

**21 mei 337** IDEM A. ad concilium provinciae Africae. Sacerdotales et flamines perpetuos atque etiam duumvirales ab annonarum praepositis inferioribusque muneribus immunes esse praecipimus. Quod ut perpetua observatione firmetur, legem hanc incisam aeneis tabulis iussimus publicari. PROPOSITA XII KAL. IUN. KARTHAGINE FELICIANO ET TITIANO CONSS.

**2 augustus 337** IDEM A. ad Maximum praefectum praetorio. Artifices artium brevi subdito comprehensarum per singulas civitates morantes ab universis muneribus vacare praecipimus, si quidem ediscendis artibus otium sit adcommodandum; quo magis cupiant et ipsi peritiores fieri et suos filios erudire. DAT. IV NON. AUG. FELICIANO ET TITIANO CONSS.